Vladislaus

[Sołtański?] Adalb. Joach. Translatio archi-
praesulear crucis.

T

Ad
CE

V
L

P
Pr

Re

Phil
Eloq

A

28

TRANSLATIO
Archi-Præsuleæ Crucis,
Primatialis in Fastigium Honoris,
Ad solennem Metropolitanam in Archi-Cathedram Ingressûs diem
CELSISSIMI ILLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI DOMINI DOMINI,

VLADISLAI
à Łubna
ŁUBIENSKI,
DEI & Apostolicæ Sedis Gratiâ
ARCHIEPISCOPI GNESNENSIS,
Legati Nati, Regni Poloniæ & M.D. Lithv:
PRIMATIS,
Primiquè Principis, ABBATIS Tynecensis,
AQUILÆ ALBÆ EQUITIS.
In maxima publicæ Festivitatis Celebritate
è voto
Regni Scholæ Universitatis Cracoviensis
officiosissimo cultu
PER
M. ADALBERTUM JOACHIMUM FOLTANSKI,
Philosophiæ DOCTOREM Ejusdemq; Regium ac Tylicianum Eloquentiæ PROFESSOREM, COLLEGAM MAJOREM, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ CANONICUM.

ADORATA.

Annô Dñi 1760. Die Mensis

CRACOVIÆ Typis COLLEGII MAJORIS.

572

In Gentilitium Insigne CELSISSIMI PRINCIPIS.





I.

Vos Superos testor, quantis sudaverit ausis
Hoc, pro Lege, Fide, Rege, DEOq; CAPVT. (a)
Scilicet irriguo madet, ictum, rore cruoris.
Aris Hoc Pietas immolat, atq; Focis.

II.

Martis & Artis, habet Gens hæc, Insignia: namq;
Marte foris pugnat, consulit Arte domi.

(a) *Dares Phryg: Lib. 2.*

ARCHIPRÆSUL
ET PRINCIPUM
PRIMAS CELSISSIME.

Quod precati sumus à DEO Optimo Maximo, semperq; ad Cantianas ardentissimis votis exorabamus Aras Academici, id cùm æternâ Numinis Providentiâ effectum suum sortiri comperimus, incredibili supra modum gestientes lætitiâ, exigua hac in pagina, & gaudiorum nostrorum exundantem ubertatem & æviternæ Jagelloniarum Musarum in amplissimum sui PROTECTOREM gratitudinis argumentum exhibemus. Verùm quæ penna exarare, aut quæ oratio satis cumulatè complecti valeat? quantô solatiô abundet, quatuor sæculorum seniô grandæva Universitas nostra, cùm TE Pontificem Optimum Summumq; rerum suarum Statorem ad eum Honoris gradum provectum eße lætatur, in quo ut Authoritas post Serenissimam

Maje-

Majestatem maxima, sita esse conspicitur, ita plurimum inde Protectionis sibi accessum iri non vano omine pollicetur. Gaudemus profectò, plurimumq; gaudemus, Celsissimum TUI NOMEN eò Dignitatis processisse, ubi Magnis ŁUBIENIIS consistere non novum est, illo amplissima TUA de Rege, Grege, & Lege, Merita Honore coronari, qui ut in Regno Primus Princepsq; habetur, ita ab universis debitam æstimationem, præ primis verò ab Universitate nostra, à sæculis Celsissimæ ŁUBIENIANÆ DOMUI obsequentissima, singulare exigit venerationis & laudationis tributum. Damus itaq; & quæ debemus, & quæ possumus, illosq; animorum partus, qui nobis pro intaminato candore domi nascuntur, TIBI PRINCEPS PRIMASq; Celsissime pro munere donamus, quales tenuitas nostra permittit, non quales dignos Primatiali TUA Majestate putaremus. Complectere igitur eâ quâ assoles Benevolentiâ hoc recognitionis nostræ æternum monumentum & publicum gratitudinis testimonium, quod in levi folio exaramus, ut cùm magnitudine gloriæ TUÆ Orbem impleveris, legant posteri, & ventura discant sæcula, Quis? Qualis? Quantusvè sis?

TRANSLATIO

Archi-Præsuleæ Crucis

Primatialis in Faſtigium Honoris.

SI quid unquam optabilius, ad Gentis utriusquè liberæ ſolatia evenire potuit, hoc utiq; opportunè non humanô conſiliô, ſed Divinitùs factum conceſſumq;: dum DEI & Sedis Apoſtolicæ Gratiâ, AUGUSTI III. Poloniarum REGIS Perſonarum Meritorumq; Ponderatoris juſtiſſimi, publicô edictô, poſt *Leopolienſem* in Roxolania, *Gneſnenſem* in Majore Polonia, *PRIMATIALIS* Sacrorumq; Hoc in Regno primi *PRINCIPIS* inſignitus Charactere, ſecundo illoque auſpicatiſſimo omine ingrederis Archi-Cathe-

dram *ARCHIPRÆSUL* & Principum *PRIMAS* Celſiſſime. Hic Ingreſſus *TUI* ſolennis dies, neſcio quo plauſu, quâ lætitiâ, quibûs deniquè acclamationibûs celebrari debeat? vel ex iis, quæ ad Actum hodiernum tam feſtivæ celebritatis in frontibus, voce, linguisquè produnt ſe extra indiciis, ſi cordium penetralia, ſi abditos animorum ſcrutareris ſenſus, intelligeres. Quid aliud erat communis illa per ora ſelectioris populi, antequam ad Infulas & Purpuras vocareris de *TE* atteſtatio, quàm meritorum Tuorum, quæ etiam maximîs digna fuere Honoribûs, publica æſtimatio? ex cujus & graviſſimorum in Patria Virorum judicio & præſagio, Orthodoxæ Fidei Defenſor acerrimus, Reipublicæ Stator Maximus, Libertatis ac Legum Aſſertor zeloſiſſimus, acſi voce DEI, dum voce populi dicebaris. Nam perſpecta fuere ſingulis, quâ in publicis negotiis prudentiâ, quô in tuendis legibus zelô, quantô in propugnanda Religione ſtudiô, quali in promovendo Bono Communi vigilantiâ: omniquè in ſubſellio, munere ac Magiſtratu, qua fide, perſpicaciâ, Autho-

ritateque verſabaris. Et felicia (non judicabimur exinde dilatare phylacteria) juncta publicæ expectationi noſtrûm pro *TE* fuere vota, dum jam talis tantusque Sacrorum & Regni hujus Maximus *PRINCEPS* in ſupremo, ad quod *TE* omniũ ſermonibûs celebrata extulerunt merita, publico Eccleſiæ & Patriæ commodo, ſtetiſti faſtigio, ut ex illo utpote infra nonniſi Regalem Thronum in altum provecta ſpecula, communi felicitati proſpiceres, omnium ſecuritati provideres. Et hoc conſecuti ſumus, quod erat nobis optandum maximè, cum ad Ingreſſus *TUI* celebritatem, Cœlitus datum, & forſan ad hæc tempora reſervatum *TE* omni obſequiorum cultu, animorumq; expreſſione, veneramur *PRINCIPEM*, qui poſitas inter ſpem & metum, uniuſcujusque res, ſumma protectione, authoritate, ac peculiari benevolentia, pro opportunitate & juſtitia defenderes, erigeres, ſolidaresque. Quid Senatorii Equeſtrisq; Ordinis, ac totius Regni Status, jam quidem & nuper expreſſa *TIBI* teſtificatio? quid circumfuſa lateri *TUO* applaudentium ac gratulanti-

um multitudo? quid deniq; omnium qui Ingreſſui *TUO* exoptatiſſimo comitatū præſtant, acclamationes, plauſus, votaquè ſignificent? an non meritis *TUIS*, ob delatā hanc Primatialem Dignitatem, nota Orbi Europæo reponunt teſtimonia? an non Eccleſiæ, Patriæ, ſibiq; deſideratiſſimam felicitatem, conſentientibûs animîs gratulantur? Nonne & ipſæ Metropolitanæ Urbis hujus ac ampliſſimæ Archi-Diœceſis Sanctiſſimæ Aræ, dum ſe tacito quodā nutu commovere videntur, in celeberrimo diſtinctiſſimoq; Cleri occurſu, acſi ſuas expandunt manus, ut illîs Primus Antiſtitum, ad Primatialis Honoris porteris Faſtigiū. Videre eſt, quomodo inde Sponſa *TUA*, cujus eſt ſua gaudia nôſſe, geſtiendo exultat, dum illi hæc in montanis ſolatia congratulantur vicini ejus, quæ *TE* magnum ex Avis & Tritavis Senatorem, meritîs in Eccleſiam & Patriam ampliſſimum, Regum gratiâ, Civium amore, ſapientum elogiîs toto Orbe celeberrimum, authoritate, præeminentiâ ac virtutibûs ornatiſſimum Sponſum, reſonantibûs undiquaq; votivîs acclamationibûs, in ſacrum ſui

Thalamum progredientem intuetur. O ſi Archi-Præſuleæ Roxolanæ Metropolis hianti ore loqui poſſent Inſulæ, quomodo juſtô zelô Jovis Miniſtris, in nido Sarmatiæ inviderent Aquilis, quæ *TE* contra Eccleſiæ & Patriæ hoſtes nactæ ſunt Tonantem, omnium, qui infra *TUI* ſerpunt Fimbriam juvantem Patrem, ſummumq; Protectorem. Quid ergo ampliſſimo Poloniarum Regno ac M.D. Lithvaniæ aut optabilius, aut carius? quid ſaluti, fortunisq; omnium accommodatius eſſe potuit? Proinde in hac feſtiva Orbis Sarmatici Celebritate, dum quivis pro ſuo ſtatu, modo, propenſione ac debito laborare & exultare videtur, accedente tam ſolenni omniũ conſenſu, Generale Regni Studium Univerſitatẽ Cracovienſẽ Celſiſſimo *TUO NOMINI*, Honoriq; devinctiſſimam ac ſummîs meritîs atq; beneficiîs provocatam, ab omni prorſus opere nec poſſe nec debere vacare; maximè dum non una incomparabilis Benevolentiæ exigit ratio, in hoc auſpicatiſſimo *TUO* Ingreſſu, æquè votorum obſequiorumq; teſtificationem ſolenniter ab Academicis exprimendi. Si

hodie veterum Romanorum ſequi deberemus conſvetudinem, ſplendidiſſimus triumphus *TIBI* decernendus fuiſſet, perpetuum Celſiſſimo *NOMINI*, Ejusq; maximis in nos Favoribus monumentum erigendum, Arcus conſtruendi triumphales, theatra cum Apollinari laurea conſecranda. Sed hæc obnoxia tempori, ejuſmodi pompæ decora, in illa ſi incidiſſes tempora, plura meruiſſes. In attollendis verborum pondere *TUIS* meritis non deſudamus cum aliis, nam & hi, qui circa artificium Oratorium, omnem adhibuerunt operam, fateri debent in tanta rerum geſtarum magnitudine, multum illis ſupereſſe faciendum. Exquiſito ſtyli apparatu viam, qua progrederis, non adornamus, cũ noverimus, *TE* propriîs non alienîs velle ſplendeſcere coloribûs, non tã decorari verbîs, quã illuſtrari factîs, ipſam veritatatem malle, ac ſinceræ voluntatis, quæ mentiri nequit, teſtimonium, quàm auriũ lenocinia, turpisq; aliquam aſſentationis notam. Quid igitur rei agendum? ubi publica hilaritas, ubi character animi ſermo, ubi cordis interpres lingua nec ſile-

re pa-

re patitur, nec ſimul *TUA PRIMATIALIS* Majeſtas, pro ſua Dignitate, nec in nos Beneficiorum amplitudo, pro noſtræ gratitudinis magnitudine loqui permittit. Solet eſſe ingens debiti pretium, cui æqualis mutuò nequit aſſignari valor, ex immenſa Protectione *TUA*, cujus jam aliàs luculenta edideris ſpecimina, contractam obligationem, ſi ex æquo ſolvere non poſſumus, æternam hebebimus. Cùm verò Principes quò ſunt præſtantiores, eò videantur benigniores facilioremq; ad ſe aditum præſtent. *TUÆ* clementiæ erit *PRINCEPS* Celſiſſime, ſi amplitudini tantorum par non ſuppetat oratio Meritorum. Hæreret non niſi lingua in admiratione Tuarum virtutum & veneratione *PRIMATIALIS* Dignitatis; fuit tamen ingrati cujuſdam animi publicam lætitiam, communes Orbis Poloni plauſus, imbelli taciturnitate præterire. His in publicum provocatus rationibûs non elevor ad ſublimia laudum Tuarum, ſed coram exaltata jam in Faſtigio *PRIMATIALIS* Honoris *ARCHIPRÆSULEA CRUCE* cum exiguâ hac procumbo penna, debitæ venerationis, voto-

rum, ac sinceræ voluntatis testificationem
Celsissimo *NOMINI TUO*, ac Honori me-
ritissimo, nomine reponens Academico.
Si quid tamen in artificio operis, publica
reperiet crisis; noverit, sine affectata fa-
cundiæ ostentatione incorruptam professos
veritatem, non quidquam in assentationẽ
confictum proferre, sed nudã veritatẽ sim-
plici oratione voluisse explicare. Rudî
quidem penicillô depicta hæc pagina, cæ-
terum tamen eô ipsô, quòd Magno *NOMI-*
NE, virtutibûs ac meritîs Celsissimi *PRIN-*
CIPIS sit adornata, in publicum non ve-
retur prodire.

NOn aliquid novum paradoxumvè pro-
teram, dum quemdam delectum vel
exinde Honoribus inesse dixero, quòd ad
cognitionem meritorum venire, acceptio-
nemq; Personarũ acsi cognoscere videan-
tur. Rarum mihi adinvenies, qui nolit altũ
petere, cùm ad Honoris Capitolium eti-
am per calcata capita decurrunt plurimi,
sed quid illud est? quòd omnium votis
expetitus Honor, nunc fugiat se insequen-
tes, nunc insequatur trahatq; fugientes,
hos

hos ad ſublimius elevet Faſtigium, illos quò ſurrexere altiùs, eò caſu graviore inferiùs deprimat. Cognoſcit perbellè & ipſa Dignitas, quòd Senatorii cujusvis authoritatis Faſces in præmium nonniſi emeritæ debeantur virtuti, unde illi eosdem etiam ultrò ſubmittit atq; ingerit; qui verò ſolas nonniſi ad Honorum Inſignia extendunt manus, tanquám minus dignos competitores repellit. Satis duro labore cùm ferreîs ſtrata aculeîs viâ Regalem Leſco quærebat Coronam, ſed quoniam fraude doloq; uſus, pro eo, quòd ſperabat ſe ſupremam conſecuturum poteſtatem, vitam pro morte commutavit, ægrè id aliis transfundendo, quod ille nimis fervidè appetierat. Jam verò qui de virtute in virtutem procedunt, qui omnẽ bene merendi decurrunt campum, qui ſemita non in una famæ, gloriæ ac recte-factorum, quibus inſiſtant Poſteritati relinqvunt veſtigia, hi omnes ad altius atq; altius Faſtigium parant ſibi gradus, per quos ſi nolint quandoq; aſcendere, ipſe Honor vel eos invitos ducit, vel ſine illata non meritis quidem, verùm Perſonis

ſæpe quadam violentia aut cum Ganymede ad menſam Jovis rapit, aut cum Hercule inter aſtra transfert. Eſt graviſſimorum authorum conſenſus, quòd unius bene geſti Magiſtratus ratio, ſoleat eſſe ulteriorum argumentum: ſic poſt tranatum cymba levi fontem, integræ toti mari claſſes in arte navigandi perito concreduntur nautæ, poſt Vexilla, Scipiones, Clavasq; invitantur ad Sceptra Summi bellorum Imperatores, ex Senatûs populiq; Romani decreto ad Supremam illi transferebantur Dictaturam, qui ſe & alios in Conſulari Officio, quàm optimè geſſerunt. Ex eorum præmiſſis, quæ pro Eccleſia, Fide, & Patria ad hæc usq; tempora ſunt à *TE* glorioſè acta *PRINCEPS CELSISSIME* infallibilis ac recta indies majorum debitorumq; *TIBI* inferebatur conſequentia Honorum. Ad obeunda quà privatim quà publicè pro Aris & Focis quantumvis maximi momenti officia, ut tantùm pro ætate ingenioq; licuit dum primo vocareris, nonne omnem negotiorum partem adiiſti feliciter, adeundo ſuſtinuiſti efficaciter, ſuſtinendo publicum meruiſti

plau-

plauſum ſolenniter *TUÆ* virtuti plus quàm ad meritum. Hæc ſingula licetſi omniũ prædicationem mereantur, atq; in oculis verſentur, ut luci publicæ oſtenderem non eſſe verborum tantùm lenocinia, primum mihi propoſueram præclariſſimas *TUAS* virtutes atq; ampliſſima de Republica merita per ætatis recenſere gradus, ex virtutibus ac promeritis ad excelſiora ſemper Honorum Faſtigia tranſlationes patefacere, Præcelſo Generi ſemperq; Maximis *TUIS* Majoribus pro operis coronide & ſolenni de Primatiali in *TE* Honore gratulatione debitam venerationem reſervando. Themiſtoclem ferunt puerum etiam gravis cujusdam animi plenum fuiſſe indole ſapientem, ſtudio ad res magnas propenſum natumq; ad Rempublicam tractandam. Adjuncta fuit hæc *TIBI* felicitas Cæli beneficiô, & virtutum à Nobiliſſima transfuſarum Proſapia privilegiô, ut inter illa prima quaſi cunabula publicam de *TE* ſpem non vano omine prævenires, atq; graviores, quàm anni paterentur, cogitationes foveres, quæ ex actionibus non vulgaribus quaſi lineamentis

& vivis coloribus indies cum admiratione prominebant. Excelsi animi *TUI* magnitudo & tanto nomine digna indoles, post illa, quibus arctabatur crepundia, ita ad omnem veræ laudis provocationem exarsit, ita omnem morum maturitatem præsetulit, ut non nisi illi ex longiori rerum experientia hoc accedere potuerit, quod ad pleniorem provectiori in ævo rerum gerendarum rationem pertinere videbatur. Unde insita *TIBI* prudentiæ, magnanimitatis, ac aliarum cujusvis rectegerendi Magistratus virtutum semina, exercitatione continua aluisti, Literarum primo hoc in Regno Fonte auxisti studiô, acquisita per celebres Italiæ, Galliæ, atq; alias Orbe Christiano celeberrimas Academias eruditione propagâsti, demum circa administrandam quamvis pro Bono Ecclesiæ & Patriæ solicitudine ac prudentia Provinciam, ad Primatialis usq; Dignitatis Fastigium evexisti. Ne tamen duntaxat Natalis soli finibus, tanquam angustioribûs circumscripta cancellîs præcellentis *TUI* vis & industria teneretur animi, illa exterorum adiisti Gymnasia, quæ

& veræ eruditionis commendatione sunt clarissima, & Illustrium Virorum non obscura laude Orbi nota quà latè patet. Fuerunt *TUÆ* virtutes quoquò *TE* dares dissitis à Patria Gentibus quasi maximis theatris propositæ, ut jam exploratò cognoscerent, nostrum Septemtrionem Ingeniorum cultu, Literarum elegantiâ, doctrina politiore florere & peregrino sub Sole ceu in illis Romæ olympicis certaminibus palmam mereri. Hæc cognata ad magna & seria natis animis laus est, nil leve, nil mediocre, nil humile, etiam florentissimis meditari in annis, sed præstantissimis operibus primis ab igniculis domi forisq; assvefacere. Sunt multi ab externo Cælo redeuntes, qui nec Martem nec Consum nec Ptolomæum viderunt, satis rati retulisse, ubi ad Cannas epulabatur Annibal, quibus in campis Cæsar cum Pompejo de summa Imperii confligebat potestate, & quo in loco Popææ Gynæceum ac Dionysii stabat carnificina. *TU* redux ad Patriam præter recepta ubiq; terrarum, quas lustrâsti præconia, præter Theologici, Jurisprudentiæ ac aliarum scientiarum Stu-

505 dii in celeberrimis Universitatibus cognitionem, retulisti simul peculialiter commendatam à *LUDOVICO XV.* Galliarum *REGE* Invictissimo existimationem consulendi defendendæ Reipublicæ peritiam ex intimo penu antiquitatis depromptam Eloquentiam, ax adytis Sapientum solidā doctrinam, idq; cum Summo *TUI*, Nominisq; Poloni plausu. Fidem Orthodoxam quam cordè gerebas, Sacræ Theologiæ navando operam, tunc præcipuè ad coram ore professus es, cum redimitum supernaturalis scientiæ laureis Caput, Cœlesti in terris Magistro Ejusq; Vicariæ Sedi unà cum Gentilitio submisisti & obtulisti Capite. Quantum gloriatur Jure in Utroq; peritissimîs *Bononia* Panorminatô, *Roma* Fagnanô, *Mediolanum* Bonacinâ, *Salisburgum* Ludovicô Engeliô, tantum *TU* utpote non ex nundinis acsi solisq; spectaculis rediens exterorum Jurium notitiâ celeberrimus Polonæ Genti gloriæ & ornamenti adportâsti. Appetebas semper perfectiora tanquam ad sublimia processurus, seligebas diligentiùs ea, quæ non ubiq; prostant, scrutabaris Gentium Le-

ges,

ges, mores, instituta belli, pacisq; rationes, ut multiplicem experientiam usuiq; necessitatiq; Patriæ ad præsens maximè proficuam *TIBI* comparares. Legendum sæculis dicatumq; Regio Serenissimi *AUGUSTI III.* Nomini Opus, illam Orbis universi Historiam luci publicæ exponendo, fecisti, ut domi peregrinari videremur, Regionum Regnorumq; situm, Urbium, populorum, montium, fluminum, & quidquid àër continet, fovet alitq; terra, quidquid claudit in se utrumq; mare præ oculis haberemus notitiam etiam sub Patrio Sole, aliis per angusta viarum conquirendam. Vis tibi ab Orbe condito annorum nosse seriem, vis quomodo primò cæpta translataq; dein variarum Monarchiarum fundamenta, vis ultra veterum gesta atq; præteritorum narrationem intelligere, *SCHOLASTICI* protunc Cracoviensis *PRINCIPIS* Celsissimi *LUBIENII* revolve Annales, ex illis quàm optimè doceberis. Et hi sunt in stallo hujus celeberrimæ Cathedræ pro communi Bono nobilissimis natisq; ad Togam & Sagum Gentis Lechicæ Ascaniis eruditi Capitis *TUI*

ſudores, ex quibus inter trinas Vavelli Coronas æſtimabaris ab omnibus, ut gemma Virorum longè illâ Cleopatræ pretioſior, vel exinde, dum in hac compilata rerum geſtarum Iliade non unius Ægypti; ſed Mundi totius concluſiſti pretia. Non poterat clariſſima *TUA* etiam ex hoc refertiſſimi quavis cognitione ingenii partu ac aliis, quæ merentur faſtos, proditæ in publicum ſapientiæ documentis intra & extra Sarmatiæ limites ſatis celebrari exiſtimatio, niſi unà ad Sacram Regalis Throni aſcenderet Majeſtatem atq; ad aures totius Reipublicæ perveniret. Qua permovente urgenteq; Regni *NOTARIUS* ſumma omnium Ordinum gratulatione atq; communî votò renuntiatus in hoc Magiſtratu, cui neſcio an plus ornamenti & ſplendoris impertiiſſes, quid non egiſti, quod ad conſervandam, propagandam omniq; jure vindicandam publicam utilitatem ſpectare videbatur. Quò ſolertiùs veterum intellexiſti geſta, eò diligentiùs perſpectâ jam verſatâq; prudentiâ ad limam ingenii reducebas præſentia, tranſcribendo regulas, quomodo nuper a-

lienis vel erroribûs vel rectefactîs edocti deberemus hodie seriò, ne serò cum Phrygibus diceremur sapere, ex antecedentibus inferre consequentia, ex præteritis prævidere futura. Erant tunc omnium oculi in *TUI* laudabilia gesta conjecti, fuit in omnium sermone, qua perspicaciâ, fide ac prudentiâ commissi Officii in toto absolveris partes, hinc ad Ecclesiæ & Patriæ bonum *TE* natum datumq; prædicebant singuli, majoribusq; quantocyus admovendum in commune rerum gerendarum negotiis magnopere exoptabant. Metropolitanæ Gnesnensis Archi-Cathedræ Decanali inter Infulata Infulandaq; Capita cùm sedisses in Stallo, ex propria virtutum ac meritorum significatione, Translationis deinde ad Primatialis Honoris Fastigium non obscura signa dedisti. Quanta *TUA* foret in rebus feliciter gerendis dexteritas, quàm nota & perspecta prudentia, quàm incorruptus ullîs bonorum illecebrîs animus, illud ad Tribunal Regni toties *JUDICIS* Deputati Officium declaravit abundè, quod tali fide, diligentia, authoritate exegisti, ut jam unum *TE* magnis

quibusdam Functionibus publicô deſide-
riô cæperint omnes deſtinare. Hoc Ju-
diciariæ ac vice-Regiæ Poteſtatis in ſub-
ſellio, gratiæ aut favori nullum locum de-
diſti, cùm ſcires Legum Aſſertorem inte-
grum eſſe oportere, non ad auream veni-
re meſſem, verùm ne æquitatem opprimat
improbitas, ne conſilium pervertat furor,
ne impunè ſibi videatur graſſari execran-
da vitiorum turba, advertere ſeriò ſeve-
rèq;. Relucebat in oculis *TUIS* vindex
ſcelerum, juſtitia in fronte gravitas, in o-
mnibus actionibus juris & æqui fidiſſi-
ma cuſtos authoritas; fuit una in *TE* ade-
undo omnibus affabilis comitas, obvia u-
nicuiq; voluntas, in dandis conſiliis æquè
maturitas ac celeritas, ne bonorum cau-
ſæ vel nimia properatione in præceps ru-
erent, vel diuturna tarditate torpeſcerent.
O felices tunc judiciorum & rerum judi-
catarum eventus, quibus tam æqvus ob-
tigiſti Arbiter; quamdiu Legum Patria-
rum vigebit Sanctitas, tamdiu non obli-
terata ad Nominis propagandam celebri-
tatem & *TUI* vigebit memoria. Ut Præ-
deceſſorum Tuorum meritîs, tritâ ad Pri-

matialis Honoris Faſtigium proccderes viâ, inſiſtebas præcipuè veſtigiis *Celſiſſimi Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini MATHIÆ ŁUBIENSKI Gneſnenſis* nuper *ARCHI-EPISCOPI TUI ATAVI* Digniſſimi, Cujus glorioſa de Eccleſia & Patria præclarè geſta nulla delebit vetuſtas, tanquam faſtis immortalitatis ingroſſata, atq; æternitati conſecrata. Satis fuiſſet ad referendam vocalem Orbe toto commendationem Hujus Archi-Præſulis, quòd Illum præſente Sacro Cardinalium cætu, in ſuo Conſiſtorio *URBANUS VIII.* Chriſti Vicarius vivæ vocis oraculô Normam Epiſcoporum appellaverit. Qua perſpicaciâ & quô zelô Ille pro immunitate Eccleſiaſtica decertaverit, eodem animi fervore atq; mentis conſtantiâ *TU quoq;* intrepidus maximè ſtetiſti, dum inter ſerias Statûs ſæcularis controverſias de Juris Eccleſiaſtici tam Poteſtate, quàm Authoritate agebatur. Subſcripſerat Ille exoptatiſſimam *JOANNIS CASIMIRI* de Stirpe Jagellonica Regii Principis conſentientibûs omnium votîs ad Thronum Gentis Lechicæ Electionem, ſimulq; *LUDOVICAM MARIAM* è Domo Auſtriaca

Regali adornavit Coronâ, & inde quaſi obſtrictam reliquerat *TIBI* utramq; Majeſtatem. Hujus Archi-Præſulis Sanctiſſimi, ope Illius, Qui cuſtodit oſsa Sanctorum ſuorum, à corruptione præſervatum poſt ſeparationem ab illo innocentiſſimæ animæ corpus, non ne vitæ ſanctimoniam morum integritatem, atq; aliarum virtutum præſtantiam, ad quarum operationẽ ut compars concurrebat, declaravit, ut diſcerent etiam à Sacris Lypſanis poſteri, quæ in hac mortali vita, digna æternitate quæ non ſubſunt fatis opera ſunt agenda. Ex laudabilium actionum Ejus regula exactiſſima, didiciſti rationem vitæ formandæ, gubernandæ Reipublicæ, dandorum & capiendorum de magnis rebus conſiliorum normam perſpexiſti. Exſolvit ille naturæ quod debuit, ſed *TE* exaſſe ſuorum in Patriam & Eccleſiam meritorum hæredem reliquit. Divinitùs proviſum eſt, ut Præſulum Hic Primus Antiſtes, perenni fama ſemper viveret, & non tantùm in ſua Pervetuſta Proſapia Infulis & Senatoria Dignitate præfulgente, ſed etiã in hac Metropolitana Eccleſia non potuerit aboleri.

Atquè hæc ſunt publica meritorum Tuorum argumenta, quæ ut non vulgarem Magno Nomini Tuo famam, & ſingularem conciliârunt plauſum, ita Prudentiſſimi æquè ac Juſtiſſimi Virorum Ponderatoris Sereniſſimi AUGUSTI III. Optimi Patriæ Patris Domini Noſtri Clementiſſimi feliciſſimè Sceptra Poloniæ adnunc moderantis, Regium cor & animum devicerunt; ut Tibi ARCHI-PRÆSULEAM Leopolienſis Eccleſiæ, quæ in Roxolania PRINCIPEM tenet locum, Dignitatem deferre, & ad Senatorium evehere Ordinem minimè dubitârit. Ad tam ſublimem Honoris Celſitûdinem, non blandienti adulatione, aut cæco fortunæ favore plerumq; humanas ſortes pro ſua libidine verſante eniſus es, ſed ut Illuſtribus ſolenne Viris, urgentibûs virtutum ſuffragiîs, anguſto, quô ſemper ad Auguſta proceditur publico laborum provehebaris itinere, donec eo gloriæ ſtetiſſes in Culmine, ad quod paucis quidem aſpirare, at rariſſimis pervenire conceſſum. Ita ANTISTES Sanctiſſimus & Sapientiſſimus SENATOR renunciatus, eò omnia conferebas ſtudia, in id omnes virium animiq; intentiones direxeras; ut & Vocationi Tuæ atq; dignitati Potificiæ

Prærogativæ, ad quam ſorte DEI electus es, cumulatiſſimè reſponderes, & expectationi Regiæ totiusq; Reipublicæ ſatisfaciendo munere Senatorio ritè glorioseq; fungereris. Noſſes verò cùm optimè Pontificii Pedi, eandem, quæ & Regalis Sceptri, rationem haberi; hinc Te totum exquò Gregi Domini præeſſe incæpiſti, communi curandæ ſaluti libenter devoveras, idq; ſtudioſiſſimè conatus es; ut palam Orbi oſtenderes, in eo maximam Epiſcopi gloriam ſitam eſſe aliorum commodo & infirmitati ſubvenire: Nam ſi Pontifices & ornamento opporteat eſſe cæteris & exemplo: vita Tua, ARCHI-PRÆSUL Celſiſſime Pontificia, quantum decoris Majeſtatisq; Chriſti Sponſæ tribuerit, quantum ſplendoris Archi-Cathedrali Leopolienſium Eccleſiæ detulerit, non eſt cur multis referam; hæc ſingula in omnium oculis verſantur, adeò ut unanimi quorumvis bonorum ſenſu, velut Numinis oraculô & edictô, virtutum idea, typus Sanctitatis Præſulum norma & amuſſis diceréris. Quô enim eſſes in tuenda Religione zelô, in ritè rectèq; inſtituendis Sacris cura & diligentiâ, qua in formandis Cleri moribus prudentiâ & ſedulitate, qua in cuſtodiendo Chriſti Ovili vi-

gilan-

gilantiâ, qua in curanda animarum salute Pastorali solicitudine, quo deniq; in propugnanda propagandave Fide Orthodoxa conatu, quæ Oratio pro dignitate & magnitudine rei dignè, ut par est, complecti valeat? quamvis verò ego ista taceam, tacere tamen nulla ratione aut decet aut convenit; tamen Religio in suo flore conservata, Sacra & Divina omnia sanctè administrata, inculpata Virorum in sortem DEI electorum vita diligenter custodita, Grex Domini salutari doctrina, præceptîs, adhortamentîs, exemplô, Fideiq; Mysteriorum notitiâ affatim pastus, enutritus, & instructus, tot deniq; animarum salus asservata satis superq; satis deprædicant; qua fide munus Episcopale adimpleres, qua dexteritate & fortitudine, Sacrum Magistratum gereres, quàm incredibili paucisq; admodùm usitata virtute Pontificiam dignitatem, ejusq; decus sustineres.

Amplissima hæc sunt fateor, per Te optimè administrati Archi-Præsulei muneris documenta, quæ si excessus sui magnitudine calamos & ingentia absorbent, quomodo ex dignitate & pro merito suo dici poterint? quæ altiùs deinceps provecta successere. Parum aliàs ad Pastoralium curarum ratus adimplen-

dam mensuram, licet non parum sed plurimum ad perpetuam Nominis Virtutisq; Tuæ commendationem conferret; ut illa Vinea Domini uberiùs germinaret diligentissimos Operarios vocare: ut Divini Sanguinis pretiô venalis Ager fructificaret abundantiùs, laboriosissimos providere Cultores: ut illud Christi Ovile augeretur, zelosos Verbi Divini Præcones Exedris, fideles animarum Curatores Paræciis, exercitatissimos in Sacrorum administratione, eruditos in Ceremoniis & ritu Ministros Ecclesiis adsciscere, nisi etiam zelô & exemplô sæculis totaq; æternitate celebrando præires in umbra mortis sedentibus, ceu in lucem Gentium datus, & in tenebris infidelitatis miserè caligantibus lumen Christianæ veritatis accenderes, atq; detersa crassa errorum nube Mysticum Justitiæ Solem revelares. Neq; propitii votis Tui Cælites defuere: visitavit Dominus ex alto, viperinam illam propaginem, maledictionis Gentem, infidelem Synagogam Judæorum, quà per amplissimam Leopoliensem Archi-Diœcesim dispersam, quà in sui vicinia undequaq; circumjacentem, & in manu potenti fortiq; brachio, de captivitate Babylonis libertati Ecclesiæ suæ restitutam communioni credentium sociavit.

Proven-

Proventum hunc ex deperditarum animarum ſalute omnium ditiſsimum, Miſerationi præprimis Divinæ, Tuis verò ardentiſsimis precibus nemo eſt qui in acceptis non referat; pro quibus Tu Tyaratus Aaron corde ad DEUM ſublimatus toties manus in Cælum attollebas, quoties Sacris Aris pientiſsimus Pontifex affunderis. O felicem illam prædam de faucibus Erebi ereptam! beatum illum raptum, absq; vi & impetu, in funiculis lenitatis & charitatis, ſvaviſsima perſvaſione & illicio amoris! qui quantùm efficax ſit; probant exempla, & propagatæ fidei latifundia, in quibus dilataſti cor Tuum ad lætitiam, dum creſcit in dies multitudo credentium, vivitq; in omnibus cor unū & anima una zelantiſsimo per Te ſpiritu ARCHI-PRÆSUL Celſiſsime animata. Ita Paſtoralibus Eccleſiæ diſtentus curîs ANTISTES, adhuc ad ferendam opem Patriæ integer ſuperfueras SENATOR. Optimè enim ſi in Pontificiam Purpuram devolvuntur Regnorum curæ, nonne Divinitùs ex Te meritis virtute, prudentiâ & judicio gravi Conſilio Reipublicæ proviſum? qui ita Dignitati & Authoritati Senatoriæ per omnia reſpondebas, ut præconceptas omnium Ordinum de Te ſpes

600. NB. Post Litteram alphabeti I. sequitur numerus 601.

& publicam expectationem communi utriusq; Gentis cum solatio adimpleres. Quippe cum Senatores sint, qui Consiliô & prudentiâ regere Rempublicam possint, & boni Auctores publici consilii, Rectoresq; Reipublicæ in confesso habeantur: Caput Tuum consilio, & recta rerum agendarum ratione plenum, quoties pro Civium commodis & emolumento aliorum non sudârit? quoties Tu auxilium Patriæ ferre retardâris? cum subsidia Reipublicæ labefactari convelliq; videres: quando non succurreris saluti fortunisq; communibus? cum eas cum sinistra sorte luctari adverteres: Testis est Trabeata hæc, quam gestas Purpura, non tam murice, quàm sanguineo potiùs rubens sudore, quem continuò publicarum curarum in æstu copiosissimè profundebas. Testantur seu Generalia Civium Regni Comitia, seu publica Amplissimi Senatûs Consilia, quæ à Principe Tuo ore quot verba, tot oracula promendo pendebant, qua esses in Regiam Majestatem fide & obsequio, quibus in Patriam studiis, quo deniq; optimè consulendi Reipublicæ animo & effectu. Periclitabatur in critico statu posita Patriæ salus, Tu salutaria mature providisti remedia: impetebant adversæ

procellæ

procellæ fluctuantem Reipublicæ Navem: Tu commotas placidè composuisti tempestates: confligebant secum in diversa euntes animorum sensus, Tu magnetica quadam consiliorum virtute, disjuncta Civium corda ad idem sentiendum, easdemq; sectandum partes fortiter & efficaciter pertrahebas. Hinc evenit quòd dum quà in privatis, quà in publicis Congressibus verba faceres, velut oraculorum Numen audiebaris: quidquid enim locutus es, id omnibus ratum & acceptum habebatur, quidquid profunda mente decreveras, id communi quorumvis rectè sentientium approbatione ceu lex & gerendorum amussis sanctissimè colebatur. Propendebant eò Regni Procerum vota, quò non leve rationum Tuarum pondus inflectebat, in dicendo gravis, in persvadendo felix, unicum integro Senatui reliquisti sensum, & hunc de Te; nimirum: quòd tanta decidere non alius poterat, nisi qui omnes Purpuratas mentes penetrâsset, & gravissima Regnorum æqua judicii bilance librasset momenta. Sanè quantus amor in Te Patriæ sit fueritquè, quanta Senatoriæ Curulis authoritas & amplitudo, quàm efficax consiliorum argumentum, sententiæ de rebus quàm graves & ponderosæ, os

B. quàm Civile & facundum! mea quidem oratio dignè pensare non valet; quæ publicum Regiæ vocis elogium, & Mejestatum æstimationem promerentur. Et inde fieri opportuerat; ut qui Princeps animorum in Regno libero dicereris, etiam PRINCIPUM PRIMAS, Primusq; Sacrorum Antistes solenni Serenissimi Regis electione renunciatus evaderes. Profecto; nusquam Regius favor Vicariæ suæ Potestati consultiùs poterat providere, quàm ubi primis Regni Nostri Trabeis Tuos concessit humeros, qui nullo onere negotiorum franguntur, imò sub publicarum curarum pondere fortiùs solidantur. Adeò sublimi Primatialis dignitatis in sede collocatus, nihil de anxia circa bonum commune sollicitudine remittis, sed cum eo honoris onerisq; provectus sis; ut non Tibi vivas sed omnibus: Celsissimo hoc cum titulo amplior optimæ voluntati Tuæ de Republica benemerendi campus oblatus: æqvumvè præclarissimis Tuis dotibus exercendis theatrum apertum est. Qua de re profecto manifestatum Patriæ felicitatis argumentum, & virtuti Tuæ nova gloriæ seges accedit, unde & universos Regni Ordines tantam sibi congratulari felicitatem, & Te ipsum animo

gestire

gestire & exultare necessum; quod ad fortunandam Rempublicam, & beatam Civium tuendam vitam æterna Numinis Providentiâ domesticis præsertim in angusto rebûs positis, datus concessusq; extiteris. Nequè verò cum amplissima hac *TUA* fortuna Celsissimum duntaxat & illustrem locum es consecutus, quod quidem jis omnibus in quos dignitas aliqua delata sit evenisse comperimus: sed insuper Procerum corda & affectus, qui *TE* singularibûs amoris testimoniîs studiosissimè prosequuntur, atq; optimorum Civium obsequentissimos animos, à quibus summo honore & veneratione haberis, lucratus es; quod solùm spectatæ virtutis & probatæ fidei Viris tribui concediquè solet. Ita enimverò est; quòd eos Viros suspicimus, maximîsq; efferimus laudibûs, in quibus existimamus nos excellentes quasdam & singulares virtutes perspicere. Illosq; quorum vita perspecta est in rebus honestis atq; magnis, & rectè de Republica sentientes, aut aliquo honore aut imperio affectos observare & colere soleamus. Jure igitur *TIBI* lætandum est Magne Prin-

cipum *PRIMAS*, dum in Celſiſſimo Vice-Regiæ Dignitatis conſediſti Throno, ad quem *TE* præclara virtus, Auguſtus Præcelſi Generis ſanguis, & digna tantô locô merita, per ardua laborum ſublimârunt, in quo jam olim Magnum *TUUM* adorabatur *NOMEN*, quiquè honos ut juſtiſſimum ampliſſimorum promeritorum Tuorum teſtimonium & præmium reputatur.

ET jam quis? qualis? quantusvè *PRINCEPS* ſis? ipſe *TIBI* modum & menſuram poſuiſti, rerum geſtarum famâ, & pervulgatâ laudatiſſimarum actionum gloriâ *TE* Ipſum emenſus es, tantusvè reapſe videris, ut omnis magnitudo *TE* penes diminuatur, omnis Celſitudo inferior evadat. Inter Illuſtriſſimos Majeſtatis *TUÆ* ſplendores, hoc lumen præcipuum habes, quòd licèt ſit ea nobilitas originis *TUÆ*, ut nihil *TIBI* addiderit honoris amplitudo, nec poſſit fortuna, acſi nihil ab Avitis Majorum Ceris claritudinis derivaſſes, puriſſimam veræ gloriæ lucem de proprio repetere, haurireq; elegeris. Solam virtutem nobilitatem, cætera fortunam reputans, eumq; generoſiſſimum quem optimum,

mum, nec qui claritate naſcendi, ſed qui probitate maximè excelleret, cum judicares; non tam Majorum opinione niti, quàm potiùs geſtîs propriîs florere tecum conſtituiſti, ut & poſteris virtutis relinqueres exempla, & Anteceſſorum authoritati, majorem dignitatem adjiceres. Quanquam plurimi laudis ſuæ ſtudioſi, præſertim verò ij in quibus nihil virtutis, nihil animi, nihil nervorum putamus, cum pro ſe verba faciunt, majores ſuos extollunt, & fortia facta memorando clariores ſe putant, quod contra eſt. Nam quantò vita illorum præclarior, tantò ſocordia horum flagitioſior. Ita enim ſe res habet: Majorum gloria poſteris quaſi lumen eſt, quod neq; bona eorum, neq; mala in occulto eſſe patiatur. At verò vita *TUA* Magne *PRINCEPS* laudatiſſima, ab inſtituto ejusmodi aliena, atq; ſupra commune vulgi exempta fatum, quantò plùs à virtute gloriæ ornamentiq; ſibi vendicat, tantò ampliùs à nativis Auguſtæ Domus decoribus ſplendoribusq; exornatur. Mutua quippe communione aureô Generoſi ſanguinis venalis pretiô honos ab Avis Atavisq; in non

degeneres deſcendit natos, ac in laudabilibus Nepotum actionibus avita Prædeceſſorum gloria perennat nulla oblivione delenda. Viva in *TE* hujuſce exempla præbes *PRIMAS Celſiſſime*, cum velut immenſo quodam gloriæ Oceanô diſperſos hactenus per Orbem Polonum Magni Nominis fluvios, in *TE* uno collegiſti, qui dum pleno honorum & dignitatum alveô, per complura ſæculorum intervalla in publica Regni commoda profluxerunt, tandem in *TE* velut in capaciſſimum omnium Auguſtæ Proſapiæ ſplendorum ſinum, unà cũ alto ſanguine ſunt devoluti. Quanta quantorumq; meritorum es meta? cui tot glorioſiſſimi Proceres, tot illuſtres ſagô Togâq; Viri, tot nobiles Heroum Animæ, tot Sanctiſſimi Antiſtites, tot Purpurati Senatûs Poloni Patres, ceu ſummo gloriæ ſcopo, perennia factorum ſuorum inſcribunt trophæa, *TU* verò nihilominùs longè latèq; ſparſam Majorum Tuorum famam reddis immortalem, & ampliſſimis gloriæ incrementîs adauges. Scilicet ùt ſuprema culmina ita magnæ Geneſes ſummîs terminantur. Quidquid ſublime, ac

Orbi

Orbi ſuſpiciendum, præterlapſa Avorum Tuorum ætas tulit, in *TE* tanquam in Optimatum abſolutiſſimo compendio, natura virtuti ſociata ad ſupremum apicem extulit: ut uno duntaxat honoris paſſu à Regum Majeſtatibus, altero à ſupremis Orbis Orthodoxi Faſcibus, brevì nulli ſecundus diſtare videaris. Tota antecedentiũ ſæculorum ſeries, quibus Illuſtriſſimi *TUI* Progenitores immortali colligendæ gloriæ magnarum rerum, grandiumq; negotiorum molimine bello paceq; deſudârunt, Tuis prælusit dotibus, ac velut præambula Tanti Principis Nuntia, publicam in *TE* Orbis expectationem præceſſit. Nollem ego immortalitati donata Magnorum Aborigenum Tuorum Nomina in leve hoc folium minus raſâ tranſcribere pennâ, quæ gratiſſimâ omnium ætatum retinentur memoriâ, quia tamen ad majorem *TUI* Nominis commendationem, non nihil adfert Majorum authoritas, permittes pace *TUA* Magne *PRINCEPS*, illuſtres Heroas, Viros ampliſſimîs honorum titulîs ornatiſſimos *LUBIENSCIOS*, ſi non pari dignitati ſuæ oratione celebrare, debito

H. bito nihilominus cultu venerari. Neſcio quô ſtyli venerabor artificiô? vel quô concelebrabo laudis elegiô *Illuſtriſſimos ac Excellentiſſimos HIERONYMUM* Bonorum à Łubna Hæredes & *ADALBERTUM Caſtellanum Siradienſem, Celſiſſimi Principis MATHIÆ ARCHI-PRÆSULIS Gneſnenſis, Illuſtriſſimi Excellentiſſimi & Reverendiſſimi STANISLAI Epiſcopi Płocenſis* ex Fratre *NEPOTES, Tuos* verò *PRINCEPS Celſiſſime PROAVOS* æſtimatiſſimos, Pervetuſtæ autem *ŁUBIENSCIORUM* Proſapiæ, in Palatinatu Cracovienſi & Siradienſi, prima Capita. Non albô jam calculô notari, ſed aureo charactere ſcribi merentur de Eccleſia & Patria *ADALBERTI* præclarè geſta: quomodo protunc *DAPIFER* Siradienſis, in Judiciis Regni Tribunalitiis, juxta regulas Juris & æqui *JUDICEM* egit Deputatum, qua perſpicaciâ ejusdem Palatinatus *VEXILLIFER*, poſt mortem *VLADISLAI IV.* ab omnibus ad conſilia invitatus Ordinibus, in Confœderatione Generali Varſavienſi, inter conſurgentes undiquaq; turbines & procellas ad clavum ſedebat Reipublicæ: vidit hæc omnia quivis Patriæ, libertatis ac

Legum

Legum amantiſſimus, probavit poſt feli-
cem exaltationem in Regium Polonorum
Thronum *JOANNES CASIMIRUS*, cujus
exoptatiſſimam Electionem frementibûs
orthodoxæ Fidei hoſtibûs, non aliter ſub-
ſcripſit niſi ſalvîs juribûs Eccleſiæ Romanæ
dum illi & *Capitaneatum Przedecenſem* ob-
tulit gratioſè, & tantæ prudentiæ, conſi-
lii ac meritorum Virum ad *Senatoriam Cu-
rulem* opportunè extulit. Magis publico
Bono vixit, quàm ſibi, cujus immortalis
gloriæ monumenta ex *THEOPHILA GUR-
SKA*, *STANISLAI Maſoviæ Palatini* Filia, Pa-
ternis inſiſtendo veſtigiis, magni Nomi-
nis & virtutum Succeſſores continuârunt,
quinimo in Filios Filiorum propagârunt.
STANISLAUS inter Cathedræ Cracovien-
ſis cooptatus Canonicos, ſapientiæ do-
tumq; ſuarum clenodiîs trinas Vavelli ap-
pretiavit Coronas, *JOANNES* ex *Conſorte*
ſua dilectiſſima *JOANNA URBANSKA Ca-
ſtellani Vielunenſis* Sorore Domûs Illuſtriſſi-
mæ adauxit ſplendores; *MATHIAS* Hæres
in Kalinowa, Łubna, Wewrzałowo, &c:
AVUS TUUS omnibûs Titulîs major, jun-
gendo ſibi cõnubiali fœdere *THERESSIAM*

RADOLINSKA, *Castellani Krzyvinensis* Filiâ, *ANDREAM Archidiaconum Calissiensem Canonicum Gnesnensem*, *Scholasticum Cracoviensem*, ex Utroq; Stallo ad Tribunal Regni *JUDICEM Deputatum*, *STANISLAUM* ex *ANNA KARSKA JOANNIS*, qui ex *SZCZANIECKA*, *PETRI*, *MARIANNÆ*, *ANTONINÆ*, *JOSEPHÆ*, & *ADALBERTI*, qui cum *CYWINSKA*, *CATHARINÆ*, *SOPHIÆ*, Filiorum Filiarumq; *AVI Progenitoresq̃* fuere dignissimi, cùm ad decus, præsidium & columen Orbi reliquerat Polono, in Nepotum Nepotibus Parentis sui *ADALBERTI* perennem fecit vigere memoriam. Nullîs obruendus temporibûs perennat in Civium animis *ADALBERTUS* Bonorum Łubna Hæres *PATRUUS TUUS*. Obliterari non potest, qui & meritîs obligavit sibi Reipublicæ Polonæ Status; & in *ALEXANDRO* ex *ORZALSKA Capitaneo WĄGCZOVIENSI*, à quo *ANTONIUS*, *CASIMIRUS*, *STANISLAUS*, *MICHAEL*, plusquam trecenti Fabii, *ANNA*, *JOSEPHA*, propè Divorum Charites, altera *CORNELIA KAŁAWSKA*, cum *JACOBO ŁUBIENIO* & *HELENA MILEWSKA* procedendo, post fata superstitem

tem reddiderunt. Si non aſſequar laudando *ALEXANDRI* primò *Judicis Terreſtris Caliſſienſis*, dein *Caſtellani Gneſnenſis* itidem *Patrui TUI* illuſtriſſima & excellentisſima merita, eorum altitudini tribuendum non ſerpenti ad *TUI* Fimbriam pennæ, dum proceſſerunt altiùs, quàm lingvæ calamiq; aſcendere poſſunt. Illa quæ cum *ANNA WĘZYKOWNA* primô votô, cum *MARIANNA RADOMICKA Palatini Poſnanienſis* Filia votô ſecundô Conſortibus, in *ŁUBIENSCIANAM DOMUM* intulit Decora, nota ſunt, ſimulq; quantum in *HEDVIGE* Religioſam *Trzebnicenſis Monaſterii* exornavit Familiam, in *CATHARINA Pruſzkowſciis*, in *Conſtantia Ordegiis*, demùm *Witowſciis*, Connubialibûs junctîs nexibûs Filiabus, Pervetuſtis in Regno Poloniarum Proſapiis tribuit, unàq; accepit ornamenti, manifeſtum. Illud Heroicæ virtuti nec non ad quævis maxima natis animis tempus amicum vel ex eo inferendum, quòd non fortuitò ſed occulta Superûm diſpoſitione humanas res in melius ordinante, virtutes illas & merita de Eccleſia & Patria quæ in *MATHIA Venatore Siradienſi PAREN-*

K *TE*

TE TUO ad exemplar Posterorum emicuerunt in *TE ARCHI-PRÆSUL Celsissime* ac in *TUO* Germano *FRATRE FLORIANO Dapifero Ravensi, Vexillifero Petricoviensi*, ac demùm *Venatore Siradiensi*, tanquam in exemplatis ad normam omnigenæ perfectionis videmus ac veneramur universi. O terquaterq; beatam (si liceat uti Pòëtarum elogiô) *MARIANNAM STOKOWSKA*; Vestram Matrem, Berecynthiam dicerem, seu extra fabulas illorum Parentem, qui terrestria dici possent Numina, aliàs in Senatu Mercurii, in Castris Martes, in Templis Numæ Pompilii. Horum & aliorum celeberrima per clarissimas Orbe Europæo stirpes Nomina, fastis & annalibus annotata facta, non me parem recessendi laudandiq; censui, unde, quos in exigua hac pagina publicæ æstimationi non expono *LUBIENIOS*, eosdem, tanquam non leve hoc folium sed ampla promerentes volumina officiosissimo à longè veneror cultu. Hæc tandem à primo *Capite* scilicet ab *AVO TUO* petita documenta satis quidem clara sunt, satis patetica; & Orbi Lechico notissima; clariora tamen futura nemo dubitat,

bitat, ſi illis ex ſecundo Fonte, nimirum ab altero *ABAVO TUO HIERONYMO* derivata adjungantur decora. Illius glorioſiſſima promerita loquuntur Annales, de quo nil mihi majus ſupereſt dicendum, niſi quòd in *Illuſtri ac Magnifico SIGISMUNDO Vexillifero Siradienſi*, Deo ob illibatam Religionem, Regibus ob ſervatam fidelitatem, Patriæ ob indelebilem ejus amorem unicè dilecto *FILIO*, omnigenæ probitatis poſuit ſemina, quæ in opimam gloriæ excrevêre meſſem etiam in ſeris Nepotibus. A Leda Matre, id eſt à *CÆCILIA OPACKA Palatinô Derpatenſi* ejuſdem Nominis ad diverſas Monarchias à Republica Polona Legatô Magnô Progenitore, ac è *Domo Bavarica Comitum de Chatim* Parente nata, præter *ANNAM DĄMBSKA, HELENAM MORSKA*, ſeu geminatas in Orbe Polono Auroras, illa bina in firmamento Eccleſiæ & Patriæ luminaria *CASIMIRUM Cracovienſem Epiſcopum, BOGUSLAUM Caſtellanum Sandomirienſem*, ſi quis non ſolùm intentâ præſentibus, verùm & reflexâ ad præterita intuebitur pupillâ, referre poterit, quantum procedentes à *SIGISMUNDO* illisq; ex

conjunctione clarissimorum Nominum adaucti splendores totum Septemtrionem illustrârunt. Quantus fuerit *PONTIFEX CASIMIRUS*, declaravit id Summum illudq; visibile in terris Caput *CLEMENS XI.* suô Romæ oraculô; *pridem Cracovia talem Episcopum habuit, justum, pium, & sapientem.* Testantur præterea publica Acta Diœcesanæ Synodi, quam in Circulo Beatæ Virginis MARIÆ Cracoviæ, in præsentia *SPINOLÆ*, protunc Nuntii Apostolici, cum maximo commissi gregis emolumento, gloriosissimè peregit, peractam posteritati legendam reliquit. In sacratas DEO Divisquè Cælitibus ubiq; Aras, liberalitatem Ejus non edissero, quomodo *ADMINISTRATOR* protunc Cracoviensis valido ventorum impetu dejectam Turrim denuò suîs impensîs Cælum versùs extulit, quando à Sede Apostolica Claromontanæ Częstochoviensi IMAGINI non solùm impetravit Coronam, verùm se & totam *LUBIENSCIORUM* Domum Huic Cœlorum subjiciendo Reginæ Votum ex auro purissimo detulit, insculpta ejusmodi inscriptione. *Sit scabellum pedum magnæ Matris*

DEI

DEI, Persona totaq; Domus mea: non est tamen prætereundum silentiô, quàm zelosissimus Cultûs B. Joannis Cantii fuit Promotor simulq; Commissarius Apostolicus, Cujus honori in Ædibus D. Annæ Tumulū marmoreum extruxit, sumptuq; non modico exornavit. Rediisse tunc nobis videbantur tempora, quibûs in Sacras Ædes liberalissimum, in Musas Academicas propensissimum, Fidei zelô, consiliô, eruditione, scriptîs factîsq; ubiq; terrarum celeberrimū, venerabamur *STANISLAUM ŁUBIENIUM Płocensem Episcopū*, Qui Vitā Antecessorum suorū in volumen collegit, Ecclesiam suæ Cathedræ restauravit, Collegium Psalteristarum fundavit, in Universitate nostra Philosophorum Contubernium proventibûs auxit, gratiosissimus hic Mecænas tot nactus Marones, quot Sacros ad Aras Flamines, & nobilissimos in Divi Jagelonis Aula Ascanios. Deficeret spiritus Oratorius, si *Illustrissimi BOGUSLAI ŁUBIENSKI*, etiam sub alieno Sole clarissima enumerarem merita, Qui in Exercitu *REGIS* Galliarum, in navali ad *Maltam* contra Turcas prælio non unam promeruit recipe-

L cipe-

cipere Coronam, pro ſua, quà pace, quà bellò, Arte Marteq; decertavit Patria, & nunc oculatos appello Teſtes. Tanto Hectori ceſſit in vitæ Sociam de Illuſtrisſima *BIELINSCIORUM* Domo, Orbis Poloni Heroina *THERESSIA BIELINSKA*, *LUDOVICI* Supremi Regni *Mareſchalci Filia*, *Mater* verò *CASIMIRI Capitanei Leloavienſis*, *MATHIÆ Archidiaconi Cracovienſis*, *SIGISMUNDI Capitanei Oyçovienſis & MARIANNÆ Illuſtriſſimi THOMÆ ZAMOYSKI Conſortis* deſideratiſsimæ, Cui ad elogium hoc ſufficiat, quod olim Corneliæ datum, & Dictatorum, & Conſulum, & Heroum fuiſſe Parentem. Deberem hìc ampliſsima in particulari recenſere Decora, ſi & pro exigentia temporis, & pro hujus exilitate paginæ, ſufficienter exprimi, atq; ex condigno deprædicari poſſent, jam aliàs de illis dicta, brevìquè dicenda, Poſteritati narranda, relinquo.

VIde jam Principum *PRIMAS Celſiſſime* quanta ſit Auguſtæ Domus *TUÆ* gloriâ! quanti Majorum Tuorum ſplendores! quæ *TE* Avorum Atavorumq; authoritates

cir-

circumſtent! quibûs ſicut *ARCHI-PRÆSULEI TUI* Throni Celſitudo plus ultra aſſurgit, ita ſolennis hodiernæ diei Feſtivitas novîs in immenſum plauſibûs adaugetur. Vide Illuſtriſſima Gentis Polonæ NOMINA *WISNIOWIECCIORUM, KONIECPOLSCIORUM, ZAMOYSCIORUM, DĄMBSCIORUM, TRZEBICCIORUM, CIENSCIORUM, GOMOLINSCIORUM, PRZEREMBSCIORUM, LESZCZYNIORUM, SOKOŁOVIORUM, ROXYCCIORUM, GRABSCIORUM, MORSCIORUM, SZEMBECIORUM, RUDNICCIORUM, OLSZOWSCIORUM, DENHOFFORUM, SIEMIANOWSCIORUM, MĄCZYNSCIORUM* indiſſolubili nobiliſsimi Sanguinis nexu *TIBI* arctiſſimè colligata; quorum pulcherrimo cinctus comitatu Primatialem in Thronum, ſummumquè Purpurati Honoris in faſtigium deportaris. Applaudunt *TIBI* primo utriusquè Gentis *PRINCIPI* Ampliſſimi Regni Proceres; Summi Sacrorum Antiſtites Vicariam Sedis Apoſtolicæ Poteſtatem in *TE LEGATO* Nato reverentur; numeroſiſsimus Metropolitanæ Gneſnenſis Archi-Diœceſis Cle-

rus optimum desideratissimumquè Pontificem sibi congratulando salutat; universi demum Reipublicæ Cives *TVÆ* suæq; imò publicæ totius Patriæ fortunæ gestientes applaudunt. In hoc triumphali studiorum certamine dum *TIBI Magne PONTIFEX* justos Honores togatosquè applausus Academici deferimus; dum Sacræ Purpuræ *TVÆ* Fimbriam mille osculîs dignamur, idioma affectuum nostrorum ex hac incomposita voce intellige; non enim quærit verborum delectum amor, & ubi ex abundantia cor loquitur, ibi interdum & altum silentium facundam exsuperat eloquentiam. Inclinat, *TE* coram *PRO-REGE*, Celsissimo Primatiali assistens Throno, trina sua Sceptra, Regiæ in Literas Liberalitatis & propensionis Divæ memoriæ *VLADISLAI JAGELONIS, & VLADISLAI IV.* Gloriosissimorum Poloniæ *REGVM* Fundatorum suorum Insignia, primæva Regni Schola Universitas nostra, ut quibûs in *TE PRINCIPEM* Amplissimum, Musarumquè suarum maximum *PROTECTOREM* feratur studiîs, vel

minimo

minimô hôc ſuô obſequio fideliſsimè teſtetur. Teſtabitur verò æternùm; & quamdiu Academicum nomen in Orbe audietur, gratiſsima beneficiorum, favorumquè Tuorum recordatio, in recenti Matris hujus Patrum & filiorum memoria nunquam deficiet. Hoc enim eſt Viris Academicis ſolenne, ùt ſemper de Regum Majeſtate, Principibus Proceribusq; Regni optimè mereri; ita Mecænatum, Protectorumq; ſuorũ beneficia, æternis prodere monumentis, totoq; coram Orbe pleno gratitudinis ore prædicare. Hic eſt Academicus candor, nulla ingratæ mentis maculâ reſperſus, cui à tot ſæculis publica eſt data fides, quòd non aliter digna immortalitate Magnorum Virorum Nomina, officioſô proſequatur elogiô, niſi ut interiùs concepta ſtudia, interprete ad extra loquatur penna. Crede igitur huic Academico candori, ac *TUIS* Beneficiis *PRINCEPS* Celſiſsime! ùt Quem *TE* Numen noſtrum Tutelare veneramur, eundem ad Aras & Cathedras, Muſæ noſtræ ſemper cum honore canent, nec ventura poſte-

7. ritas filebit. Nunc in exitu orationis, quod unicum vovendum supereſſe videtur *TIBI PRINCEPS Celſiſſime* precamur: (Superi verò votis noſtris locum aliquem apud ſe concedant) ut Quem DEUS OPTIMUS MAXIMUS ad Eccleſiæ ſuæ ſplendorem, Reipublicæ tutelam, Senatûs Poloni ornamentum, Jagelonianarum Muſarum dulce decus & præſidium, *ARCHIPRÆSULEM, PRIMATEM, PRINCIPEM, PROTECTOREM* conceſsit; eidem immortalitatem quoquè ſuam largiatur: aut ſi id humana conditio ferre non patiatur; Eminentiſsimîs honoribûs, rebûſquè proſperrimîs auctum, ſeras in ætates ſalvum & incolumem in terris ſupereſſe velit.



